

Prof. Dr. Löfstedt mit (S. v), daß Adele Kibre von den Hss. A und B vollständige Kollationen hinterlassen hatte, die er selbst "nochmals an Hand von Photokopien kollationiert (S. v)" habe. Die Hss. D E F H P (die aus dem 9. und 10. Jh. stammen) seien ausschließlich von Photokopien und Mikrofilmen transkribiert.

*Outi Merisalo*

*Martini Dorpii Naldiceni Orationes IV. Cum Apologia et litteris adnexis. Edidit Iosephus IJsewijn. Bibliotheca scriptorum Graecorum et Romanorum Teubneriana. BSB B.G. Teubner Verlagsgesellschaft, Leipzig 1986. XX, 145 S. M 46.*

Martinus Dorpius (vulgo Maarten van Dorp), vir clarissimus, qui Naldovici (vulgo Naaldwijk) apud Hollandos natus est anno millesimo quadringentesimo octogesimo quinto, mortuus autem Lovanii anno millesimo quingentesimo vicesimo quinto, iuvenis studiis theologicis a bonis litteris aversus, tamen amicos grammaticos et poetas semper coluit, pietatis erga Erasmus, inter alios, haud quaquam immemor. Cura Henrici De Vocht Lovaniensis iam aliqua opuscula Dorpiana nostro tempore edita sunt (vide praesertim praefationis paginas IX usque ad XIV necnon Conspectum librorum novae huius editionis paginis XVIII-XIX contentum). Orationes autem nunc primum aetate nostra editione dignatur Iosephus IJsewijn, vir de studiis Neolatinis optime meritis, litterasque ad eas pertinentes necnon Apologiam utilissime lectoribus praebuit. Omnia adnotationibus indicibusque auctavit ad res historicas geographicasque intellegendas. Textum Dorpianum ex "uno vel duobus exemplaribus editionis antiquae" (p. XIV) eruit, "studii pretium non esse" putans "multam operam pecuniamque perdere evolvendis excutiendisque aliis etiam exemplaribus ut unam alteramve mendam in prisca typographia olim correctam" deprehenderet (ibid.). Ecce principia optima, quibus editiones plurimas longinquis sine laboribus conficiamus! Constat enim operam pecuniamque studiis non esse perdenda. In textu constituendo cum orthographia Dorpiana liberrime actum est – clarissimo enim editori notum est Dorpium "ea in re (sc. orthographica) neglegentiolem fuisse" (p. XV), praesertim cum certo de norma antiqua hoc sciamus: "quam si novissent litterati saec. XV-XVI, certo certius adoptavissent, quippe qui antiquorum exempla ceteris in rebus tam religiose suspicerent" (ibid.). Editor ergo omnia ea, quae cum norma antiqua nobis familiari non congruerent, correxit, ut "confusionem" (ibid.) deplorabilem *ae/e* caudata/*e*, *ci/ti*, *yi*, *qu/c*, *t/tt*. Erroribus Dorpianis typographicisque ita sublatis textum nitidum opera pecuniaque non perditis hominibus nostri temporis legendum praebuit. Vae viris illorum saeculorum obscurorum qui editionibus recte purgatis gaudere more nostro non potuerint.

*Outi Merisalo*